

**Dissertatio medica inauguralis de mystarum morbis praeservandis /
[Johann Friedrich Heinigke].**

Contributors

Heinigke, Johann Friedrich.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Christiani Henckelii, 1721.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d6r528fb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

C. 11 18/12 28/42/p 6632

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,
DE
MYSTARUM
MORBIS PRÆSER-
VANDIS,

QUAM
DEO PROPITIO
ET
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE
DN. D. MICHAELE ALBERTI,
POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIAR. AULICO, MEDI-
CINÆ ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACA-
DEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,
PATRONO AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS
CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORALI

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis
More Majorum Solenni obtinendis,

Horis ante & pomeridianis Die Octobr. MDCCXXI.

Publicæ ventilationi submitter

JOHANN FRIEDRICH HEINIGKE,
ALTENBURGENSIS MISNICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1721.





PROOEMIUM.



Vicunque vitæ humanæ qualitates nunc perlustrant, illorum mentem communiter brevitatis atque fugacitas illius occupat, dum perpendunt, quod olim longior vita hominibus concessa sit & quod diu vita frui, multis gratum & desideratum sit; sed

quis non facile etiam comprehendat, quod multæ res naturales non tanta duratione præditæ sint, quanta communiter vita hominis inclarescit, imo quod multa animalia tanta longævitate, quæ homini per Dei benignitatem concessa est, non fruuntur: & quis non æque facile in admirationem ducatur, cur tam diu homines vivant, cum indies tam periculosæ circumstantiæ vitam animalem ambient, ut propterea quotidie mori & post nativitatem mori nihil mirum, nihil raram esse queat: quare Seneca de brevitate vitæ c. 7. dicit: *vivere tota vita discendum est & quod magis fortassis miraberis, tota vita discendum est mori*: est itaque vita naturalis nihil aliud, quam simulacrum mortis, cum vita cœlestis vera vita appellari mereatur: inde etiam est, cur vita animalis tantis

calamitatibus & periculis exposita sit, ut homines sensibus assequantur, quam infirma & caduca hæc sit vita, & ut alliciantur, quo veram, stabilem & perfectam vitam obtineant: quam periculosa proinde hæc naturalis est vita, tam diversæ imo tam frequentes sunt causæ, in discretis hominum officiis obviæ, quæ ad evidentiorē & citiorem vitæ naturalis periclitationem & offensionem contribuunt, quare navigatores, metallicolæ, milites &c. semper parati esse debent, quo hanc naturalem vitam cum æterna mutent: neque hi tantum vitæ periculis eximiis obnoxii sunt! quid enim de Medicis dicamus, qui nosocomia visitare & contagiosam sæpe mephitim inspirare tenentur & sub officio suo symbolum illud *Memento mori*, sollicita & attenta mente recolere tenentur, aut uti *Persius* exclamavit: *Ecce brevicinis & manes & fabula fies, vive memor lethi, fugit hora*: quam lepida itaque cura erit, multa terrena negotia anxio pruritu & immoderata ac insatiabili invidia affectare! neque tantum hujus classis homines citiori mortifero eventui subjecti sunt, sed augent atque supplent præsentem nostram animadversionem veri, ingenui & fidi Ministri verbi divini sive Mystæ, qui multis modis diversis vitæ periculis expositi sunt, quæ pertinent verba apostoli 2. Cor. 4. v. 10, 11. *quolibet tempore mortificationem Domini Jesu in corpore circumferentes, ut etiam vita illa Jesu in corpore nostro manifesta fiat, semper enim nos qui vivimus morti tradimur propter Jesum, ut etiam vita Jesu manifesta fiat in carne nostra mortali: & c. 6. v. 4. sed in omnibus nos approbantes ut Dei ministri: v. 9. ut morientes & ecce vivimus.* Et quamvis hæc proprie ab Apostolo de

de mortificatione, ex variis persecutionibus proveniente, dicta sint, tamen multa alia vitæ detrimenta fidei Dei Ministris imminet, dum ex parte ob strenuam officii sui administrationem, orando, meditando, sollicita cura & vigilantia animam & corpus defatigando & in negotiis suis indefesso studio laborando variis vitæ & sanitatis ærumnis se submittunt & sic ut vasa gratiæ divinæ in honorem Dei, animarum salvationem & Ecclesiæ Christi ædificationem vires suas impendunt, de quibus valet illud dictæ ducis cujusdam *Nicolai Ponte*: *Inserviendo consumor*: ita multi pro salute hominum, quibus pastores constituti sunt, se eviscerant, in quos cadit illud elogium *Chrysostomi Sermone 6. de Passione*: *Subiectis dare, donare servis est adsvetum donantis indicium: pati pro subiectis, pro servis mori, insigne est charitatis immense documentum, singulare est hoc amoris documentum, aut uti Salvator eloquitur Joh. 10. v. 12. bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis, & c. 15. v. 13. Majorem charitatem nullus habet, quam istam, ut quispiam animam suam deponat pro amicis suis.* Ita interdum integri, veri & sinceri ministri in vinea Domini consumunt vires, sanitatem & vitam nimis laboribus in honorem Dei exercitis, quos interdum compellare occasio fert: *propitius tibi esto Domine! Matth. 16. v. 22.* *Herr schone dein:* sed hoc loco reminiscimur illius moniti *B. D. D. Speneri* Theologi incomparabilis & in Ecclesia Christi summo meriti, qui dicit in der Glaubens-Lehr *Dominica Misericordias Domini*: *Endlich ist auch ein Stück der Verrichtung unsers Amtes, daß wir vor unsere Schaafe das Leben lassen müssen, nicht zwar auff eine sol-*

che Art, wie Christus, welcher sein Leben vor die Menschen dahin gab sie zu erlösen, um vor Sie genug zu thun, so ihm den Erzhirten allein zusteht, sondern also eines theils, wo es Verfolgung giebt, oder andere Lebens-Gefahr die Gemeinde betrifft, daß wir schuldig sind, wann die Gemeine unser noch nöthig hat, auch unser Leben nicht theuer zu achten, sondern es gern vor Sie und mit ihnen hinzugeben: andern theils, daß wir auch willig seyn, fleißig und treulich zu arbeiten, und unserer Kräfte nicht zu schonen, ob wir auch wohl durch viele arbeiten, wo sie nur sonst nützlich und nöthig sind, unser Leben eher verzehren müssen, dann wir sind solches Gott und der Kirchen schuldig und haben uns also mit einiger der Gemeinden Versäumniß nicht zurücke zu ziehen. *Conf. illius Nothwendigkeit und Möglichkeit des thätigen Christenthums ead. Dominica*: Ach daß sich niemand der Prediger oder weltlichen Regenten, welche die Ehre der Hirten haben wollen, dessen entbrechen wolte, daß er nicht schuldig wäre sein Leben und dessen Krafft willig zum besten der Schafe zu verzehren und auch nicht die Gefahr zu scheuen, durch welche eine Gefahr von den Unvertrauten abgewendet werden kan. Et alibi dicit, mors pastorum pro ovibus est officium boni ministri Dei, vor die Schafe sterben, bedeutet entweder das würckliche sterben, wo es in den Verfolgungen die Noth der Schafe erfordert, daß man sein Leben vor sie hingebe, oder daß mans mit Sorge, Mühe, Fleiß und Arbeit allgemach verzehre. Huc pertinet commentarius An-

señni in 2. Cor. 12. v. 15. Tanto affectu charitatis erga vos moveor, ut non invitus, sed lubentissime impendam vobis vel carnalia vel spiritualia bona & post omnia, si opus fuerit, ego ipse superimpendar pro animabus vestris, ut moriar pro salute animarum vestrarum: longe alterius indolis sunt illi pastores, quorum ex ore Dei mentionem facit Ezechiel c. 34. v. 3. adipem comeditis & lanam induitis, quod optimum est mactatis, gregem non pascitis: v. 4. morbo affectas non confirmatis, egrotas non curatis & confractum non obligatis ac depulsam non reducit, pereuntemque non requiritis &c. de quibus Esaias c. 56. v. 11. usque ad finem sic ait: speculatores istius cæci, quotquot sunt non agnoscunt, quotquot sunt canes muti, non possunt latrare: tempori serviunt, jacent, amant dormitationem: & isti canes avidissimi non norunt saturitatem, propterea ipsi pascunt se, nesciunt docere: quotquot sunt ad vitam suam se convertunt, quisque ad lucrum suum ab extremitate illius: venite sumam vinum & ingurgitabimus nos potu inebriante, eritque similis huic dies crastinus, major excellentior valde: & hoc loco minime sermo est de illis, qui tantum titulo illo inclaruerunt, quod sint administratores bonorum cœlestium & divinorum, sed qui puritate doctrinæ, sanctitate & integritate vitæ ac vera imitatione christi conspicui sunt: de quibus illud valet, quod Plutarchus de consolatione ad Apoll. professus est, non qui plurimum fidibus cecinit aut oravit, aut naves gubernavit, sed qui optime ista fecit: quemadmodum hac ratione veri Ministri in vinea Domini, quibus salus animarum curæ cordique est, multis vitæ periculis expositi sunt, ita non infimæ considerationis illa causa est, qua iidem Mystæ variis sanitatis detrimentis submit-

tun-

tuntur, quando ægrotantium & variis tam benignis, quam malignis morbis decumbentium visitationi se subducere non possunt, neque brevi mora se expedire debent; in quo casu medici citius negotia sua administrare & a copiosiori miasmatum ingestione se subtrahere possunt, vigilans vero Mysta explorando, monendo, orando, consolando &c. plus temporis consumit, adeoque plus periculi subit; quare ejusmodi ingenui atque fidi administratores sacrorum & divino & humano auxilio indigent, qui ipso effectu experiuntur quod Psalmista exclamavit *Psalmo 33. v. 18. - 21. Ecce oculus Iehovæ attendit ad timentes sui: ad expectantes benignitatem ipsius: ut eripiat a morte animam eorum & vivos conservet eos in fame: anima nostra præstolatur Iehovam: auxilium nostrum & scutum nostrum est: nam in eo letatur animus noster, quia nomini sancto ejus confidimus: & Psalmo 46. v. 2. Deus nobis est receptus & robur, auxilium in angustiis præsentissimum: dum itaque tot ac tantæ afflictiones morbo-
sæ veris verbi divini Ministris imminet, merito in mentem revocamus illud apostoli monitum *Ebr. 13. v. 7. μνημονεύετε τῶν ἡγαγμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τῆς θεᾶς*: horum itaque primario hoc loco reminiscamur, de quibus idem apostolus dicit *v. 17. αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνεῖσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν*: accipiant itaque illi fidi Mystæ hos nostros conatus, tanquam symbolum illius moniti *v. 18. προσεύχεσθε περὶ ὑμῶν*. Dum itaque Inaugurali specimine utile quoddam Practicum thema elaborare nobis incumbit, ita propositum nostrum fuit, in honorem Dei & emolumentum piorum & verorum Mystarum, qui hoc nomine digni sunt, neque vineam Domini ut sordidi, incasti,*

casti, intemperantes, ventri inservientes &c. apri devastant, qui non sunt de profapia illorum, quos apostolus Rom. 2. v. 21. 24. describit, de quibus valet illud Apocal. 22. v. 15. *foris autem erunt canes* (hi sunt canes muti secundum Esaiam 1. c.) *& venefici & scortatores & homicidae & idololatræ & quisquis amat ac committit mendacium*, præsentem dissertationem principali scopo de MYSTARUM MORBIS PRÆSERVANDIS ventilare; interim non penitus reliquis illud commodum invidemus, quod ex præsentis tractatione haurire poterunt, modo illud in gloriam Archiepiscopi *δεξιπομπέως* principis pastorum & animæ æque ac corporis sui conservationem impendant. Deum interim devotis precibus imploramus, quo hunc laborem benedictione sua prosequatur, ut fructum illum, quem ingenuo animo intendimus, ferat & obtineat.

§. I.



Ad rem nunc accedentes, nihil in titulo propositæ nostræ considerationis *ambigui* hæ-
rere deprehendimus, etenim de *Præser-*
vatione Morborum, qui *Mystis* familiares
esse solent, agere animus nobis est: quo
loco consultum esse ducimus præmonere, quod de *illis*
morbis nobis sermo sit, qui ratione *vitæ generis, officii &*
connexarum circumstantiarum atque *caularum Mystis* ma-
gis familiares esse solent: ubi quidem minime affirmamus,
quod illi *specificis* quibusdam morbis obnoxii sint, sed po-
tius hoc ordine *talium* morborum rationem habemus &
deliberationem instituimus, qui observantur *Mystis* *solen-*
niores esse, ad quos *vita sedentaria, diæta plena, frequens*
sermocinatio, multæ *curæ Ecclesiasticæ*, multæ *vigiliæ*, mul-

æ enervationes, magnæ commotiones sanguinis, visitationes aegrotorum, frequens & diuturna conversatio in locis humidis, frigidis, domiciliis, templis, Sacrariis &c. & pro diversitate locorum insuetus & incongruus victus, potus & aër contribuunt, ut ita facile compareat, quod multiplices sint causæ, quæ in rebus & negotiis Ecclesiasticis, civilibus & æconomicis occurrant & morbos diversos invitant, qui Mystrarum animum atque corpus affligere solent: quicunque vero alii morbi ex causis admodum communibus aliisq; hominibus infensis oriuntur, ad illos primario hoc loco non advertimus: deinde sermo nobis est de morbis non exiguis, transitoriis aut plane imaginariis, qui posteriores passim inter Mystas occurrunt, ut levem quandam alterationem sub timida, anxia, sollicita & immoderata imaginatione tanquam gravem & magnam præsumant, aut plane exacerbent & deteriorent; sed potius agimus de morbis, qui Ministerium sive administrationem sacrorum officiorum valde turbant & vitæ ac sanitatis periculum eximie promovent & accelerant, cuius sortis & acuti & chronici & benigni & maligni morbi passim obtingunt: qua occasione non oblivioni tradendi sunt morbi hæreditarii, qui in stirpe quadam progrediuntur & per ejusmodi causas, in officio Ecclesiastico obvias, foveantur, promoventur & augentur, interim etiam indicandum est, quod tales hæreditarii morbi nimium quantum anxia illa imaginatione & recordatione augmentari, confirmari & depravari possint: deinde de præservandis talibus morbis hac occasione tractamus, cum dignior labor sit, uti in omnibus hominibus, ita tanto magis in viris piis & Deo & hominibus acceptis, quo imminentes morbidæ afflictiones tempestivè præoccupentur: siquidem in toto foro medico præservatio morborum eximie commendata legitur, uti Hipp. in Epist. ad Cratevam dicit: ab omni arte aliena est procrastinatio, & præcipuè in medicina, in quo dilatio animæ periculum affert: & Galenus lib. de

de Sangu. miss. c. 7. recte quidem & ab Hippocrate dictum est, quod illa quæ presentibus morbis faceremus, ea multo utilis ac melius ipsis incipientibus aut imminuentibus antevertendo faciamus: quoad significatum *Mystrarum* scopo nostro accommodatum, multa hoc loco differere non necesse esse judicamus, cum *Mystræ* debeant esse servi Domini nostri Jesu Christi, cum Spiritu Christi præditi, de quibus *B. D. D. Spenerus* in der Glaubens-Lehre, *Dominica Latere* dicit: Uns Predigern lieget ob, daß wir gedencken, wir seyn allein Diener und Werkzeuge des großen Propheten Christi, der sein Amt durch uns führet: durch die Christus vermittelst seines Heiligen Geistes sein Prophetisches Amt führt, dahin zu trachten, daß wir auch solche Leute seyn mögen, durch die Er und Sein Geist reden könne, welches gewißlich von uns fordert, daß wir alles sündliche Wesen nach aller Möglichkeit, allen Geiz, Ehrgeiz, wollüstiges Leben und dergleichen ablegen, hingegen ein heiliges und unsträfliches Leben führen; dann allein in solchem Stand sind wir recht dazu geschickt. = = Thun wir das nicht, sondern leben nach der Weltweise, und suchen unsere eigene Ehre, Nutzen, Lust, so hindern wir, daß Christus sein Prophetisches Amt in uns nicht mit solcher Krafft führen kan, und haben dessen schwere Verantwortung und Gericht, wann an uns *Sirachs* Worte wahr werden, cap. 15. v. 9. Ein gottloser kan nichts rechts lehren, dann es kömt nicht von Gott: also ist er ungeschickt ein rechtes kräftiges Werkzeug Gottes zu werden, sondern lehret meistens allein auf Menschen Kräften und Weißheit; hæc de *Mystris*.

§. II.

Sed quo propius ad scopum nostrum accedamus, nunc nominandi erunt *Morbi*, quibus familiaris *Ministri Dei* subjecti esse observantur: minime vero loquimur de *Morbis*, qui ex intemperantia, luxu, popinationibus, incastitate, pravis affectibus animi, invidia, astutia, malitia, insidiis, incontinentia &c. nec non ex libidinoso vivendi genere, utpote qui non sunt morbi tam sacrorum hominum,

sed illorum qui ventri, mundo & satanae ministerium & officium suum debent, hinc *alterius* indolis erunt morbi a nobis recensendi, quorum sane *multiplices* sunt; quod itaque *affectus capitis* concernit, tunc *capitis dolores* praecipue *juniores* & *nimio* sanguine praeditos non raro infestant, quo *dieta plena*, dispositio ad *haemorrhagias* narium, frequens *mutatio aëris calidi cum frigido*, aut *puri & sereni cum turbido*, *negligentius regimen*, *sensibilis refrigeratio* corporis in genere, maxime quidem *pedum & pectoris*: nimia *commotio sanguinis* orgastica, nimis diuturna & *operosa sermocinatio*, nimis *sedentaria* vita, nimis *sensibilis capitis refrigeratio*, contribuunt; deinde *multiplex catarrhalis afflictio* caput occupat, sive in simplici catarrhali narium fluxione aut *Coryza*, sive in *rheumatica* combinatione aut *acri secessione*, sive in catarrhali capitis *infarctu*, qui libero successu *excretorio* destitutus est, consistat; quales morbidæ calamitates tam *speciali temperamento*, quam variis *externis* causis nituntur, quo praecipue pertinet eximia *alteratio* & *mutatio tempestatum*, multa conversatio sub aura *frigida & humida*, aut quando post orationem aut concionem quandam peractam cum *sudo* corpore in *humidum & frigidum* sacrarium se conferunt, ut sudor *retrocedat* & subinde *caput, collum, ac pectus congestiones* cum *secessionibus* humidis occupent, quo multum disponit ratio *temperamenti* vel admodum vel mediocriter *humidi*: huc etiam multum contribuit, si tempestate *pluvia, humida, nebulosa*, aut *humido-frigida*, aut *frigido - tepida* solennibus quibusdam actibus publicis interfunt, eosque capite *parum muniti* aut libero aeri & ventis *frigidis* perquam expositi comitantur, ubi sæpe contingit, ut in ejusmodi actibus & negotiis ratione temporis & primi praesentes & ultimi discedentes sint; tanto magis tales *capitis afflictiones* irruunt, si tali praedicta *insalubri* temporis & tempestatis qualitate frequenter *templa & cœmiteria* visitare, diuque in illis moram gerere debent:

bent: accedit & hoc, quando Myſtæ viſitant *agrotantes* & initiant *verno*, aut toto *autumnali* & *hyberno* tempore præcipue *veſpertina* & *nocturnus* horis, è *frigida* aura in valde *calefacta* conclavia ægrotantium & ex his denuo in frigidum aërem procedunt, adeoque multiplicibus *alterationibus* ſubjiciuntur: præterea *ſenio* propinquiores Myſtæ *vertiginofis* perturbationibus & *apoplecticis* comminationibus ſubjiciuntur, quo *plenitudo* ſanguinis, *ſedentaria* vita, *parcus* aut nimis *ſpiſſus* potus, aut nimis *crasſus* *copioſus* vel valde nutriens *viſtus*, frequens alvi *obſtructio*, *flatulentia* retenta, multa & ſenſibilis *pedum refrigeratio*, ataxiæ *hæmorrhoidalium* motuum, nimix *vigiliæ*, *ſollicitudines*, *curæ*, ærumnæ, afflictiones, nimix *lucubrationes nocturnæ* & prægreſſi multi & operoſi labores *mentis* contribuunt, aut quando in *junioribus* ætatibus frequentes *nariam hæmorrhagiæ* aut *molimina* talia hæmorrhagica præceſſerunt, quando hæcenus *conſuetæ artificiales* ſanguinis imminutiones vel *confuſe* repetuntur, vel plane *negliguntur*, quando *diuturnis* totius corporis *refrigeriis* maxime vero cum *humiditate* conjunctis ſubjiciuntur, quæ cauſæ etiam ad *paralyticas* invaſiones diſponunt: accedunt etiam *internorum & externorum ſenſuum* vitia, velut præmatura *hebetudo* oculorum, quæ interdum nititur illa frequenti *nocturna* lectura ſcriptorum typis exilioribus impreſſorum, vel communis & frequens ſcriptura *tenera*, quæ vulgo concionatoribus imputatur eine *Prieſter Hand*, cum quo idem exprimere volunt als eine *kleine zarte Schrift*: diſponit etiam ad internorum & externorum ſenſuum imbecillitatem, *frequens matrimonium*, ut & admodum *ſæcunda* ſobolis propagatio: huc etiam contribuit, quando ejusmodi Miniſtri Eccleſiæ cum capite *non bene* obtecto multas *aëris injurias* perferunt & quando *laborioſis* & nimis *meditationibus* ac *memoriæ applicatio-* nibus animam *defatigant*: inde innotuit dictærium man

hätte viele Kopff arbeit ausgestanden: neque oblivioni tradimus, quando afflictiones *hypochondriacæ* cum aliquali *melancholiæ* gradu conjunctæ *animum* enervarunt, aut quando *multi* capitis dolores præcesserunt, vel morbi alii *periculosi acuti* febriles, maxime vero *maligni* cum arduis *deliriis* combinati, unde dicunt man hätte einmahl eine schwehre Haupt-Krankheit ausgestanden, quales deinde tales reliquias imbecillitatis sensuum in comitatum aut nexum & consecutionem trahunt.

§. III.

Quando jam in ordine *Præservationem* modo nominatorum affectuum capitis subnectere placet, tunc facile liquet, quomodo tales morbidæ afflictiones, secundum *temperamentorum* diversitatem discrepent, ad quam circumstantiam proinde merito animus applicandus est, ne in præservatione aliqualis *confusio* committatur: quo itaque *caput* a *sanguinea* congestione & connexis doloribus molestis *liberum* conservetur, præstat singulas illas *causas* evitare, quæ sanguinis *quantitatem* augere & *inordinatam* commotionem fovere & promovere solent: hinc *diæta* tam quoad *quantitatem*, quam quoad *qualitatem* sit *temperata*: eo magis vero præstat a victu *pleno* abstinere, quando vita *sedentaria* conjungitur; cum contra sub *laboriosiori* vitæ genere *non tantum* incommodi afferat diæta plena: neque etiam *potus* valde *saturatus* & *pinguis* hart, schwehr, fett Bier Mystis convenit, præcipue illis, qui *capitis doloribus* obnoxii sunt, præstat potius potum *tenuem* & *temperatum* seligere, interea *sufficiens* potus non est subtrahendus: profunt ad præsentem scopum infusa *aquea*, maxime herbæ thee aut veronicæ, modestius cinnamomifata: potus *spirituosi* vero nocent, præcipue si tales capitis dolores *plenuidine* sanguinis nituntur: *vini* usus sit valde *temperatus*: deinde vitentur sensibiles *pedum refrigerationes* & quacunque ratione vitetur, ne *alvus* obstruatur: interim caveant etiam

etiam a remediis *crudioribus aloëticis & communibus* illis pilulis domesticis, quæ nomine der Haupt-Pillen salutantur; propterea tamen minime nocent *correcta* aloëtica medicamenta, quæ *congestionem sanguineam* a capite revellere adjuvant: præstat itaque *interdum* ejusmodi pilulis modeste *alvum admonentibus* uti, minime tamen illis nimis *frequentem* ingestionem *abuti*: deinde seponenda sunt omnia *valde spirituosæ* remedia, quæ vulgo ab *extra* capiti applicari solent, ut sunt *balsama oleosa*, concentrata, *spiritus subtiles*, quales per plebejam traditionem alias *capitis doloribus* opponuntur: rectius ab extra adhibeantur *simplicissima* domestica adminicula & sic dicta Epithemata Kopf Umschläge ex mica panis, sale tosto, semine carvi, baccis juniperi, fl. chamom. sambuc. papav. rhæad. aceto & aqua rosarum; quo pertinet applicatio herbarum matricariæ, salviæ, verbenæ, betonicæ, aut furfurum triticeorum calefactorum cum sale tosto & semine carvi ac floribus chamomillæ vulg. quæ illis inserviunt, ut *communia & simplicia* adminicula quando medici & pharmacopolia *longius distant*: porro *præservatorie* in eadem necessitate conferunt *V. Snes* in *pede* verno sereno aut autumnali tempore suscipiendæ; alias per *intervalla* repetitis vicibus *pediluvia* in usum trahi possunt: subinde *caput* subducatur a nimia *exæstuatione & refrigeratione*; vitentur *domicilia & musca* nimis *humida*, nimis *frigida*, nimis *humilia*: feligatur locus ad quem *prior aura* pertingere potest, vitetur vero habitatio in *inferiori* domicilii contignatione; ad *verticem* applicetur spiritus vini Camphoratus cum linteolo exceptus: in subiectis admodum *carnosis & subinde succulentis*, *scarificationes* præservatoriæ non inutiles sunt: in omnibus negotiis observetur *temperies*: evitentur etiam nimia *vigilia & operosiores meditationes & lucubrationes nocturnæ*: victus proinde ita sit constitutus, ne *ventriculi* functioni aliqua *vis & alteratio* inducatur: *æqualis transpiratio* observetur & con-

tinue.

tinuetur: *repentina mutatio* frigoris & caloris vitetur, neque etiam tempeſtati ventosæ, impetuoſæ, *nebulosæ* & vapidæ *negligentius* corpus exponatur; quoniam ut plurimum *ſenſibiliores* illi ſunt Myſtæ, qui capitis dolorificis moleſtiis ſubmittuntur.

§. IV.

Quod vero *Catarrhales* capitis offenſiones attinet, quarum multiplices cauſas in præcedentibus commemoravi-
mus, tunc Deo adſiſtente & illæ facilius *præſervari* poterunt, quando enarratæ illæ *cauſæ* ſollicite *præſcinduntur*, aut ne tam *frequenter* & *eminenter* corpus affligant, præoccupantur, ubi *genericæ* quidem ad illarum præſervationem facit, quando *totum corpus* in conſtanti & *medico calore* conſervatur, propterea ſufficienter *obtegitur*, neque ob *laxiorem* amictum *transpirationi* neceſſariæ impedimenta inferitur; præcipue quidem præſtat, quo *caput, collum, pectus* & *pedes* bene muniantur & a ſuſpectis *refrigeriis* arceantur, omnium maxime evitetur *repentina* ſudoris perturbatio & *ſuppreſſio*, quin rectius conſert, quo nonnunquam *præſervatoriæ* artificiales *diaphoreſes* moderatæ inſtituantur & ſubinde *abundantia* ſeri vel ſimplicioris vel acrioris *evacuetur*: ante omnia proficit, quo præſervatoriis modicis *laxationibus* corpus a colluvie *impuritatum ſeroſarum* repurgetur, quo conducunt vel pilulæ ex extractis helenij, vincetox. cent. min. cochlear. card. bened. fumar. G. ammoniac. bdell. Juniper. Myrrh. thereb. extr. pan-
chym. Croll. agar. trochiſc. diagryd. & oleo cort. aurant. paratæ: huc pertinent pilulæ de ammoniaco, de agarico, de ſuccino Cratonis, aut quæcunque aliæ mitiori laxante effectû probatæ ſunt: vel conferunt *vina medicata*, quæ ſimul effectû *diuretico* ſanguinem *purificant*, conſcienda ex rad. angelic. helen. pimp. alb. vincetox. caryophyllat. gentian. rubr. Galang. Zedoar. herb. abſinth. abrotan. card. ben. cent. min. cochlear. fumar. menth. major. rorismar. beccab.

beccab. capill. vener. flor. calend. lavend. stæch. arab. sambuc. cent. min. helen. anth. fumit. origan. com. absinth. fem. anis. fœnic. bacc. laur. junip. Cort aurant. citr. winteran. cinnam. lign. sassafr. Juniper. Santal. citr. fol. fenn. rad. bryon. *ir. nostr.* polypod. quern. agaric. & crem. tartari: quod vinum medicatum *vernīs* æque ac *autumnalibus* temporibus usurpari potest: deinde reliquis temporibus parari possunt vina talia medicata, *diætetice* adhibenda, miscenda cum herbis veronicæ, salv. hepat. nob. trifol. fibr. beccab. nasturtii aquatici, pimp. min. bellid. hortens. quæ vina vi *diuretica* & *diaphoretica* utilia sunt: præter hæc præservantia auxilia conveniunt talia remedia, quæ serum per *diuresin* ac *diaphoresin* successive eliminant, hoc nomine conferunt miscelæ essentiarum angelic. ari. helenii, vincetox. caryophyllat. valerian. pimp. alb. fumar. succin. lign. sassafr. *æquinoctialibus* præcipue temporibus & tempestatibus illis adhibendæ, quando *catarrhales* tales afflictiones magis ingruunt, quo tempore etiam conducunt *infusa aquosa* calida radicum chinæ, sassaaparill. apij. bardan. scorzon. herb. veronic. scord. cent. min. betonic. salv. capill. vener. euscut. flor. sambuc. chamom. vulg. helen. perlicor. fem. fœnic. bacc. laur. lign. sassafr. santal. citr. & rubr. polyp. quern. & tantillo agarici, cort. citr. cinnam. in subjectis temperatioribus & humidioribus confert Mixtura ex Ess. Succin. Spir. Sal. ammoniac. Tinctura antimonii, aut ex Ess. Succin. Myrrh. & Tinct. antimon. tartarifata, ut & Tinct. antimon. Sulph. & Ess. succini: quæ singula remedia præservatoriis curis relinquenda sunt, illa *cautela*, ne cum ejusmodi commendatis remediis *excessus* committatur: per intervalla pro *acrimonia* feri & *congestionibus* concurrentibus *temperandis* conferunt pulveres ex oc. cancr. præparat. antimon. diaph. & nitr. depur. parandi: quodsi *spissior* muciditas in diversis subjectis præsumatur, tunc conducunt salina vel

C

com-

communia digestiva cum ejusmodi pulveribus focianda, vel tartarifata & anglicanum pro *abstergenda alvo* proficua, quo nomine etiam confert Ligu. terr. fol. tart. cum tinct. antim. tartar: quodsi vero in *capite* simul singularis *imbecillitas* concurrat, tunc profunt cucuphæ ex radic. angelic. levistici, valerian. ir. flor. mei, cyper. rot. galang. caryophyllat. serpent. virgin. gent. rubr. herb. serpill. rorismar. thym. salv. polii mont. major. betonic. menth. abrotani, matricar. flor. chamom. utriusq; sambuci, lil. convall. lavend. spic. stœchad. arab. semin. anis. fœnic. bacc. junip. Cort. cinnam. lign. sassifr. G. benzoës, storac. calam. elemi, anim. opobalsam. Mastich. thur. & tantillo Castorei componendæ: non minus interdum ad *verticem* cum linteolo applicari potest Miscela ex Spir. vin. camph. serpill. rosar. rorismar. lil. convall. eff. croc. sassifr. Castor. quæ posteriora in subiectis *humidioribus* securius, quam aliis adhiberi possunt: quando vero tales catarrhales capitis affectus *contumacius* continuant, *aliisque* remediorum usibus non obtemperant, tunc *fonticuli* etiam in usum vocari possunt.

§. V.

Ad præservandas *vertiginosas* perturbationes, præstat antea disquirere, quænam *causæ* eo disponant: principalissima harum causarum *sanguinis irregulari motu* nititur, in quo passu necesse erit, temperata & modica *dieta* præoccupare ne sanguis *nimum* augeatur, neve *incongruis* commotionibus turbetur & impellatur: subinde a potu *spirituoso*, largius *vinoso*, aut vicissim *crasso*, valde *saturato* & nimis *nutriente* vel etiam *inebriante* & *stuporem* provocante, maxime vero a *vinis sulphuratis* abstinendum est: porro fugienda erit nimis *sedentaria* vita, *parcus* potus, *crassus* victus, alvi *obstructio*, pedum & capitis sensibilis & frequens *refrigeratio*; adhibeantur per intervalla *pediluvia* temperata, refracta & *correcta* aloëtica, helleborina & polypodiata: arceantur *externa* oleosa & balsamica; confere-

runt

runt *præservatoria* *VSnes* in *pedibus* suscipiendæ & in *hæ-*
morrhoidariis subjectis subordinentur *hirudinum* applica-
 tiones ad loca *hæmorrhoidalia*: evitentur *nimiae curæ*, sol-
 licitudines, *vigiliæ*, *nocturnæ* meditationes & singula sus-
 pecta animi pathemata: conferunt præterea *frictiones fe-*
morum & interdum *cucurbitularum cæcarum* applicatio-
 nes ad femora: denique *nimia exæstuatio* & *refrigeratio*
 corporis excludatur, *caput* insuper ab omni *aëris injuria*
frigida, nebula & *humida* muniatur: & hæc eadem consi-
 lia atque auxilia in genere profunt, quando *imminentes af-*
fectus apoplectici & *paralytici* præservari debent: quando
 vero *vertiginosæ* tales molestiæ cum *ventriculo* consentiunt,
 tunc observanda erit *bona diæta*: nocet omnis *interna* &
externa ventriculi refrigeratio, alvi *obstructio*, *flatuum* re-
 tentio ac occlusio, ciborum *crassiorum* ingestio: præstat
 contra omni modo *concoctionem* facilitare, alimentis faci-
 le concoctioni obtemperantibus uti, *aromata* sub diætâ
 convenienter usurpare, *vinum bonum* modice conjungere,
 aut *post pastum* aliquando parcam quantitatem *spiritus ar-*
dentis aut aquæ *stomachicæ* ingerere; interdum etiam usus
Tincturæ stomachicæ aut *massicatio* caryophyllorum aro-
 maticorum aut radicis *Zedoariæ* post ingestum cibum pro-
 ficit: in nonnullis *Zingiber* conditum, radix calami aro-
 matici aut cichorei cum sacharo obducta utilitatē afferunt:
 in variis *massicatio* feminum nostratium aromaticorum
 ut anisi, fœniculi, carvi, petroselini, nigellæ, nasturtii, rad.
Zedoar. convenit: non paucis *culinaria* illa subsidia opem
 afferunt, velut synapi, piper, *Zingiber*, raphanus, quæ
 vero pro *diversitate* personarum & circumstantiarum alia-
 rum ordinanda sunt: Ad præservanda *Sensuum internorum*
 & *externorum* vitia varia pariter conferunt adminicula:
 multum confert ne sanguinis *abundantia* molesta evadat,
 neve *caput* frequentibus *catarrhalibus* morbis affligatur;
animus in legitima actionum *moralium temperie* servetur;

nimis *profundæ meditationes*, nimis *vigiliæ*, nimis *anxiæ cure* & sollicitudines animum enervant: *quies* concedatur *animo* & *corpori*: *fidus* & *justus mysta*, qui officiis suis assidue incumbit, *somno* sufficienti indulgeat & in eodem *ordinem* observet: neque infructuose *pomeridianum* somnum in subsidium ducere potest: *somni enim defectus turbat animum*, enervat *vires*: deinde *modus* fervetur in exercitio *memoriæ*: quicunque enim cum actu memoriæ nimis *operosi* sunt, illi facile aliorum & internorum & externorum sensuum *decrementa* experiuntur: non parum etiam conducit *abstinentia* in actibus *matrimonialibus*, multum enim *animum* & *corpus* tales actus enervant & *castitatis* observatio & *animo* & *corpori* multa *emolumenta* promittit: *caput* bene *obtectum* sit, a *frigore* arceatur & in subjectis *temperati* temperamenti cum *cucuphis* sive *sacculis nervinis* sublevetur: *capitiluvia* haud proficua sunt: *siccæ* vero *absterfiones* capitis non sunt inutiles, quoniam ut plurimum *Mystæ* cum capite valde *sudant*: hinc interdum caput cum *linteis modeste calefactis*, *furfuribus triticeis* & *floribus chamomillæ* vulg. *abstergantur*: *senibus* præcipue *nervina externa* conveniunt: *interne* confert pro *sensuum externorum* conservatione *Ess. Succini*, *L. Sassafr.* *Pimp. alb.* *Valerian.* *Spir. Sal. ammoniac.* *succin.* *Liqu. C. C. succinat.* *Essentia dulcis orphanotrophei Glauchensis*, *Tinct. antim.* cum *Spir. C. C. & Ess. succin.* porro *Ess. Cinnam.* *Ambr. succin.* & *Sassafr.* invicem mixtæ: ad *verticem* applicetur *spir. vin. camphor. spir. serpill. rosar. rorismar. lil. convall. formic. chamom.* *Ess. croc.* *Castor. ambræ*: *pulveres illi famosi* sive ex commendatione *Wolffii* in *memorabilibus suis* *Trithe- mianus aromaticus*, sive etiam alius, parum conferunt: *animi tranquillitas* & *moderamen*, nec non *regularis vitæ* temperies in *dieta* & *abstinentia* ab omni *defatigatione* *animi* & *corporis* in hac consideratione plus efficiunt, quam *pharmaceutica*; ordinamus etiam *modicum* usum *generosi vini*,

vini, jusculeorum vinosorum interdum *matutinis* horis ingerendorum: de reliquo singulæ illæ *causæ* aut omittantur aut emendentur, quæ sensuum enervationem, secundum præcedentem nostram animadversionem, ullo modo allicere & *invitare* possunt & solent.

§. VI.

Progredimur jam ad affectus *Colli & Pectoris*, quibus *Myſtæ* familiarius subjiciuntur: testatur itaque frequens experientia, quod *catarrhalis* secessio *simplex* æque ac *rheumatica* glandulosas *colli & faucium* partes occupet, cui satis sæpe suspecta conjungitur *Raucedo*, quæ *Myſtis* satis molesta est, quoniam ipsi in sacro suo officio *sermone* carere non possunt: nonnullis catarrhales *tumores in collo* familiares sunt, cum quibus quandoque *capitis* aut *dentium* dolores combinantur; hisce afflictionibus annumeramus hoc loco *prolapsionem uvulæ & tonsillarum* incommoda; cum hisce morbidis offensionibus cohærent nonnulli *Pectoris* affectus catarrhales, præcipue *tusses* humidæ & in adultioribus subjectis *semi-asthmaticæ* aut perfecte tales molestiæ: ad has afflictiones disponunt in genere *temperamentum* eminentius *humidum* sive *sanguineum* sive *phlegmaticum*, cum alio *siccò* temperamento conjunctum, deinde *communes* mutationes *anni* temporum, quando *æſtas* nunc in *autumnum* & *hyems* in *ver* mutatur; accedunt *tempeſtates* valde *humidæ & frigido-humidæ*, aut *repentinæ mutationes calidæ & serene* tempeſtatis in *frigidam & humidam*: & quoniam sacrarum Ministri vel frequentius in *locis frigidis, humidis & liberiori aura destitutis* versantur, sive *domiciliis* male situatis, sive *templis & sacra-riis* atque *ſacellis*, vel sæpius sub intemperato tali aëre officii suis fungi debent, imo non raro *nocturnis* horis e somno & quiete evocantur, in *aërem* talem *nebulum, frigidum, humidum, impurum*, vappidum & sanitati admodum adversum producuntur, ita talibus particularibus

congestionibus & humorum *secessionibus* obnoxii redduntur: accedit *operosa* concionatorum *sermocinatio*, quando e cathedra aut alibi cum eximia virium applicatione orationes suas atque sermones proferunt, *sanguinem* & *corpus* valde *commovent*, atque *exæstuant*, subinde aërem *frigidior* inspirant, mox in locum *frigidum* se conferunt & ob frigidi atque humidi aeris inspirationem *faucibus* & *pectori* gravem alterationem inferunt, unde mirum esse non potest, cur ob tantas *eminentes* mutationes Mystæ in prædictis locis atque regionibus tot humorum *infarctibus*, *secessionibus*, *coacervationibus*, incarcerationibus & stasibus exponantur: & quidni Mystæ sub orationibus & concionibus *Dominicis* in numerofo hominum cœtu tot *impura effluvia* plus quam ullus auditorum suorum intra corpus suum excipere debeant? dum ob tantum motum pectoris exhalationes illas longe majori quantitate ingerunt: inde etiam evenit, ut Mystæ nunc *senio* confecti aut senectuti proximiores post multos & *contumaces* pectoris affectus perpeffos, tandem *suffocativis catarrhis* subjiciantur: proinde Mystæ frequentius submittuntur *congestionibus sanguinis* ad *pectus*, *hæmoptycis* moliminibus aut nonnunquam actualibus hæmoptycis *eruptionibus*, *scirrhis* pulmonum, interdum *pleuritidi*, *peripnevmonie*, *spasms* in pectore, *dyspnææ* &c. quales afflictiones præcipue obtingunt *plethoricis* & de *sanguineo* aut *choleric* temperamento participantibus, ad quos affectus disponunt *immoderate* commotiones & alterationes pectoris, *excedentes* sermocinationes & quicquid aliunde has congestiones intra pectus allicit & provocat: & cum hoc loco nihil de *corruptis* morbis Myftarum differere constituerimus, propterea permanendum nobis erit in *simplicium* morbidarum afflictionum commemoratione: quare præter hætenus dicta interdum Mystis imminet *phthisica* mala, quæ e *prægressis* morbis *pectoris* communiter ortum trahere solent: multum proinde

inde ad *pectoris* morbos convocandos contribuit illa my-
stis non *infrequens* alteratio, qua corpus *in genere*, impri-
mis vero *pectus* ad eximiam *exæstuationem* usque commo-
vent, iterumque *sensibilibus* & suspectis *refrigerationibus*
exponere coguntur, aut quando ingrediuntur conclavia
ægrotoꝝum excessive *concalefacta*, iterumque in *turbidum* &
frigidum aërem progrediuntur: maxime vero frequens
pulmonum motus sub assidua *sermocinatione* ad pectoris mor-
bos multum contribuit, sicut intensior talis pulmonum
commotio ad *scirrhus pulmonum* & ad *laxitatem* membra-
naceæ pulmonum texturæ disponit, unde oriuntur *in-*
farctus & *asthmaticæ* afflictiones, quæ in adultis Mystis
tandem in *tabem*, *Marasimum*, *hecticam*, *catarrhum suffoca-*
tivum, concretionem *pulmonum cum pleura*, gravem *dis-*
pnoeam, *hydropem pectoris* & similes intricatos pectoris af-
fectus degenerant: *juniores* non modo sæpe in *intimiori-*
bus pectoris varia incommoda patiuntur, sed & in *exter-*
na illius regione non raro *spasticis* stricturis, *oppressoriis*
molestiis, lensionibus *contusoriis*, eusserlich Drücken auf
der Brust oder als wann sie vors Brustbein oder auf die Rip-
pen gestoßen wären, subjiciuntur, quales molestiæ *tenacibus*
& *fixis* *spasticis intercostalium* præcipue musculorum com-
motionibus nituntur.

§. VII.

Quod nunc *Præservationem* modo commemoratarum
morbosarum afflictionum attinet, tunc secundum præce-
dentem ordinem primo loco de *colli* & *faucium* affectibus
præoccupandis dicendum erit: congruit vero hæc præ-
servatio cum illa *prædicta* methodo, qua morbi *catarrhales*
capitis præservari debent: præcipue quidem convenit,
quo *transpiratio insensibilis* justo ordine gaudeat & ne *su-*
dores, undecunque etiam provocati, *subito* turbentur aut
supprimantur; imo præstat *interdum* in subjectis *succulen-*
tioribus modestas *diaphoreses* provocare & ne *abundantia*
humo-

humorum *catarrhalium* talibus affectibus *occasionem* subministrat, præstant præservatoriæ *laxationes* & ingestiones Essentiarum *alexipharmaicarum* atque *diureticarum*, ut angelicæ, carlin. caryophyll. helenij, ari, pimp. alb. vinetox. valerian. succin. L. fassafr. quibus in *serosis* temperamentis aliquid de spir. salis ammoniac. sociari potest; quemadmodum interdum *præservatorio* scopo ordinari potest mixtura e Tinct. antim. tartaris. Ess. succin. & spir. sal. ammoniac. proinde talia adminicula *tempestive* illis *occasionibus* adhiberi debent, quando *eminentiora* anni tempora *mutantur*, quando *æstas* nunc in *autumnum* vergit, uti per *intervalla* sub autumnno, hyeme & vere talia auxilia ordinanda sunt: inter alia auxilia, quæ *serosis colli* afflictionibus præoccupandis & curandis proficua sunt, laudem meretur *Radix Pimpinelle albæ*, quæ vel *massicata*, vel in *Essentia* ad aliquot guttulas *sine vehiculo* assumpta admodum proficua est: præter hæc auxilia curam gerant *Mystæ*, quo *puro aëre* fruantur & domicilia, musea & cubicula eodem puri aeris *accessu* gaudeant: plurimum confert, si *bono & æquali* regimine utuntur, neque unquam in aeris frigidi & calidi *mutatione errorem* committunt: ad evitanda talia colli & faucium pathemata multum juvat, si *caput & collum* bene *tectum* fervetur & in *constant* calore & *transpiratione* contineatur: neque male *humidioris* temperamenti subjecta, *præservatoriis* usibus congruis interdum *massicatoriis* utuntur, velut radice pimp. alb. zedoar. cost. dulc. cyp. rot. valerian. gentian. rubr. galang. Quicunque *frequentibus* ejusmodi catarrhalibus *secessionibus* & stagnationibus in *collo* subjecti sunt, illi de *collo* in *sacculo* gestent *camphoram* cum *croco orientali* & tantillo *castorei* mixtam: si sub *tempestate intemperata frigido-humida*, *humido-nebula* officiis suis fungi tenentur, utantur *mane* prædicta *Essentia pimp. alb.* cum Ess. succini mixta *sine vehiculo*, aut decocto & infuso calido ex specie-

ciebus *anticatarrhalibus* parato: proinde etiam necesse est, quo in *sermonibus publicis* habendis sibi moderentur, neque *nimum* corpus *exæstuent*, neque commissam *exæstuationem* subitaneis *oppressionibus* subjiciant: sub *dieta* ad *præoccupanda* hæc incommoda usus *boni vini* modicus, nec non *condimentorum* ad *seri colliquationem* & *evacuationem* promovendam confert, velut *piperis*, *zingiberis*, *synapios*, *armoraciæ*, *ceparum*, *porri*: quicunque simul sanguinis *molestam* quantitatem continent, illi *præservatorias* *Venæ* sectiones aut scarificationes non negligant; sicuti ad valde *contumaces* & *frequentes secessiones* catarrhales colli & pectoris *derivandas* in subjectis *humidis fonticuli* non inutiles sunt: utut vero in hoc statu magis *modeste calido* regimini indulgendum est, tamen qualiscunque *nimia exæstuatione* corporis admodum *nocet*: *juscula vinosa* modice aromatizata & *crocata* *præservatoriis* usibus haud sunt eximenda: *dieta* sit *temperata* & a cibis, *præparationibus* & *condimentis*, *serum* multum *suspectum* generantibus aliena: *loca* quæ alias *humida* sunt, ut *sacraria* & *cubicula calefacta* plus nocent, quam si *frigida* fuerint, ad minimum magis ad *prædictos colli* & *faucium* affectus disponant.

§. VIII.

Ad *sanguineos Pectoris* affectus *præservandos* convenit, quo *Mystræ* in *concionibus* & *sermonibus publicis* habendis non *nimum* pectus commoveant, adeoque sanguinem *fortius* intra pectus impellant & variis *congestionibus*, *oppletionibus*, *stagnationibus* aut actualibus *eruptionibus* ansam præbeant: unde a *nimis frequenti*, *nimis strenua* & *nimis diuturna* *sermocinatione* abstinendum est: sanguinis *ventilatio tempestitiva* sollicitè instituatür & repetatur: quicunque *hæmoptycis*, *peripnevmonicis* afflictionibus expositi, illi ad minimum *ter* per annum sanguinis extractionem e *pede* admittant: magno etiam studio *evitent aërem impurum* & *pulmones* valde offendentem; ab omni *eximia ani-*

mi & corporis commotione, sanguinis exæstuatione, pedum sensibili refrigeratione, alvi obstructione, spirituosorum ingestione, ut & a diætâ lauta, plena, valde nutriente, valde aromatica abstineant, in omnibus vero magno studio temperiem feligant: porro nonnunquam usurpentur pilulæ ex correctâ aloe & modica illius quantitate, cum additamento aliorum resolventium & abstergentium subjectorum paratæ, quæ sanguinis motum a pectore avertere adjuvant: profunt etiam laxantia e rhabarbaro & passulis facta: non negligantur pulveres ex oc. cancr. citr. antim. diaph. nitr. depur. corall. rubr. præparat. & cinnabari compositi: acida & valde salina evitentur: interpositus usus feri lactis, æstivo tempore conjunctus proficit; temperatus lacticiniorum & liquidiorum pulpamentorum usus prodest; alius nocet: conferunt interdum adhibita pediluvia; infusum veronicæ, scordii, ruffilag. heder. terrestr. hepat. nobil. fl. chamom. in hoc casu opem affert: pulveris sternutatorii usus non confert, sed magis nocet: neque quidem de illis hoc loco agimus, qui mundanis & profanis moribus se conformes reddunt & præter necessitatem, quin potius ex lepidò & ridiculo more ejusmodi pulveribus utuntur, in quo more prudentes & ab omni vanitate alieni mystæ nullam offensionem præbere debent: in eodem casu etiam sollicite a tabaci fumo abstinendum est: quæcunque vero modeste pectus leniunt, neque nimium emolliunt & affluxus immodicos ad illud convocant, illa in usum trahere decet, unde juscula gelatinosa, carnea, gallinacea, avenacea, hordeacea, gelatinæ conducunt: Ad præoccupandas secessiones humidas catarrhales intra pulmones eadem consilia & auxilia proficiunt, quæ in capitis & colli catarrhalibus afflictionibus allegata sunt: alias ad internam discussionem affluxus mucidi a pectore convenit rad. ari, squillæ, helenii Ir. flor. quæ in pulverem redactæ & interdum usurpatæ exoptatum effectum edunt: huc etiam spectant Essentiæ pectorales

storaes discutientes, ut & mixtura e Tinct. antim. tartar. Eff. succin. & spir. sal. ammon. anisato: in valde humidis subjectis proficit Eff. pimp. alb. succin. croci orient. & L. Sassafr. profunt etiam decocta e rad. scorzoner. chin. fassapar. liquirit. gent. alb. cost. dulc. herb. veronic. salu. scord. tussilag. capill. vener. fl. sambuc. helen. chamom. vulg. Croc. orient. sem. anis. foenic. bacc. lauri & junip. L. Sassafr. Sant. citr. tantill. agarici & rad. ir. flor. interponantur modestæ *laxationes* & quæ supra commendata sunt subinde in usum vocentur: *positiva* expectorantia, *multum* adhibita & *nimie* pectoris *emolliationes* nocent; præstat rectius a *pectore* *affluxus* catarrhales *avertere* & *ordinarias* excretiones *promovere*: *olei* usus *diatericus* multam & multiplicem utilitatem affert: usus rutæ, salvie, thymi, baccarum lauri & juniperi sub diæta *pectori* non parum subvenit: evitentur omnia interna & externa *frigida*; præferatur ubique *modestus calor*: pectus etiam ab *externa* refrigeratione arceatur: quando denique *spasticæ* commotiones *externum* pectus affligunt, uti supra memoravimus, tunc præservatorio scopo perinde quodvis *internum* & *externum* frigus avertatur, *sanguinis* ventilationes in *pede* legitime celebrentur, *alvus aperta* conservetur, nonnunquam selecta aloetica adhibeantur, infusa calida sive decocta lenientia & solventia usurpentur: elæosaccharum ex oleo amygd. dulc. & sacchar. cand. albo paratum exhibeatur: ordinetur decoctum ex rad. liquir. cichor. apii, rusci, rub. tinct. chin. herb. veronic. salu. chærefol. tussilag. flor. chamom. vulg. papav. rhæad. sambuc. helen. in forma infusi Thee excipiendum: confert *modicus* usus *lactis*, oleosorum lenientium subjectorum, nec non spermatis ceti, ut & Diascordii Fracastorii, per intervalla *conjungendus*: cavendum tamen est, ne talia præter necessitatem ingerantur & cum iisdem magis naturalis vigor enervetur, emolliatur & seducatur: proinde tales *spas-*

mos præservant moderationes in motu pectoris, ne videlicet hic motus *nimum* intendatur *nimumque* pectus *exæstuetur*, alias contingit, ut post hanc exæstuationem *superueniens* refrigeratio in subiectis *carnosis* facile tales spasticas stricturas post se trahat: sub diæta seligantur *mitiora lenientia & gelatinosa*, quæ in genere à suspecta *strictura* corpus præservant; proficit etiam Chaccarilla.

§. IX.

Sed progredimur ad *alios* morbos Mystis familiares exponendos, ex illis hoc ordine notamus afflictiones, quæ *ventriculum* attinent, quando ob nimis *sedentariam* vitam, ob *insufficientem* motum corporis, ob *alvum* segnem & frequentius *adstrictam*, ob *diætam* crassiorem, ob *parcum* potum, ob retentos *flatus* &c. variæ *molestiæ* in ventriculo & circa illum invadunt, velut *cardialgiæ*, *inflationes*, *appetitus* depravationes, turbæ *concoctionis* & exinde provenientes *somni perturbationes*, quale pathema optime *præservabitur*, quando *mobile* vitæ genus seligitur, quando *diætâ ordinata* adhibetur, quando *alvi obstructions* præoccupantur, quando nimia *solidorum* ingestio vitatur, quando cibi infueti seponuntur, quando sub diætâ aromata nostratia convenienter conjunguntur, aut quando alia etiam in ulum trahuntur, ut Zingib. piper, bacc. lauri, junip. fem. carv. quando *post pastum* modicus usus spiritus ardentis ingeritur, quando amara adhibentur & extra *concoctionem* interdum salina digestiva, *primas vias* abstergentia, usurpantur, quando ad *incommodos flatus* dissipandos ordinantur vel *semina culinaria* masticata, velut anisi, fœnic. carvi nigellæ, vel *aromata*, maxime caryophylli aromatici, vel quando *Essentiæ carminativæ* cum Spiritu chamomillæ mixtæ interdum excipiuntur: Non raro *Mystæ hypochondriacis* molestiis corripuntur, quæ ex *multiplicibus* causis invitantur, velut per *diætâ plenam*, vitam *sedentariam*, victum & potum *crassum*, potum etiam *par-*
cam

cum, multas *curas*, profundas *meditationes*, *nocturnos* multos labores &c. quæ singulæ causæ providè sunt corrigendæ; deinde præservatoriis usibus ordinetur *Venæsectio* in pede, *motus* & *labor* corporis, *dieta tenuis*, *potus sufficiens* & *diluens*, *alvi absterfusio* & congrua repurgatio, *equitatio* & *vectura*, *animi continentia*, *serum lactis*, remedia salina solubilia, tartarifata, sal anglicanum: satis, sæpe admodum Mystas affligunt molestæ *flatulentia*, quibus præservandis confert *Diæta* idonea selecta & temperata, *modice* aromatica & ab illis alimentis & potulentis libera, quæ *flatus* generare possunt; indulgeant ita constituti magis *moderato* calori, vitent *frigus* internum & externum; adhibeantur illa stomachica quæ modo commendata sunt: *valde aquosa* seponantur, usus *boni* vivi adhibeatur: conducit *cerevisia enulata* aut *vinum enulatum*: nocent vina *austera* & *recentia*: profunt remedia *amara*: nimis *frequens* usus spirituum ardentium minus conducit, *modicus* vero illorum usus utilis est; *alvus* nunquam sit *obstructa*, neque tamen unquam *potentibus* purgantibus irritetur: *adstringentia* & *opiata* sedulo excludantur: Et cum calamitates *nephritica* Mystis non sint infrequentes, ita illis præservandis quadrat animus *contuens*, tranquillus & ab *immoderatis* ac frequentibus *pathematibus* liber; proficit porro *diæta temperata*, non valde nutriens neque admodum lauta, sed potius *simplex* & *tenuis*; conferunt *gelatinosa*, *lenientia*, pingua, *lacticia* temperata: *potus* ordinetur *tenuis* neque valde *spirituosus*: quæcunque vero sub *diæta diuresi* leniter promovent, illa *modica* quantitate adhibeantur, ut petroselinum, synapi, armoracia, raphanus &c. conducit etiam *abstinentia* aut temperantia in *matrimonio*: *alvus* sit *aperta* & *lubrica*; evitentur *spirituosa* & vina quæ sanguinem valde commovent, nec non cibi *spissi* & qui *primis regionibus* injuriam afferunt: conjungatur præservatorie *V. Sio in pede* &

in subjectis *hæmorrhoidariis* subjungatur *hirudinum* applicatio ad *loca hæmorrhoidalia*: profunt porro *rhabarbarina*, *passulata*, nec non interdum oblata carminativa tam *pharmaceutica*, quam *dietetica*: admittatur interdum usus *balneorum* cum herbis temperatis nervinis & emollientibus mixtorum: neque infructuose quandoque præservatorie in hac necessitate *clysteres emollientes* & remissius *roborantes* adhiberi possunt.

§. X.

Inter alios affectus, qui *Mystras* frequentius & molestius affligunt, merito annotanda est *Colica*, quæ modo *simplex*, alibi *hæmorrhoidalis* est, quam utramque diversi errores in *Regimine* & *Dieta* commissi provocant: maxime quidem *suspecta* interna & externa refrigeria, diuturnæ *alvi* adstrictiones, potus *impuri* & valde *fermentantes*, cibi *crassi* & *primis viis* infensi, *animi* pathemata, præcipue *iracunda* & *crudiora* ac copiosiora *aloetica* remedia, a quibus singulis itaque sollicitè abstinendum est, si hæc molestia præservari debet: *alvus* contra in libero & *legitimo* successu conservetur, aut interdum per *Rhabarbarina*, *passulata*, correctæ & temperata *aloetica* ac *helleborina* medicamenta, conjunctis extractis amaris carminativis promoveatur: confert diæta *leniens*, alvum emolliens & lubricans: profunt *alimenta evpepta*, liquida, *gelatinosa*, modice aromatisata: proficit etiam usus *vini adulti* & selecti: subjungantur quandoque temperata *stomachica*: maxime vero commendanda est *ordinata* diæta & quo multo studio nimia *refrigeratio* evitetur: quodsi vero in *officio* & Ministerio suo *Mystræ* gravem perpeffi sunt *refrigerationem*, tunc *calidis* jusculis & potulentis præoccupent, ne talis *colica* irruat, commisceant etiam *Tincturam carminativam*, inde intercipitur *occlusio* alvi & *transpiratio* insensibilis denuo invitatur: Proinde *Mystris* admodum *familiares* sunt motus *hæmorrhoidales*, quibus rite tractandis omnem operam adhibere de-

debent, quo loco allegamus & pro meliori conciliatione, explicatione & applicatione commendamus *D. D. Præsidis Disp. de Hæmorrhoidariorum Regimine & Dieta, de Hæmorrhoidum Anomaliis*: caveant itaque omni cura, ne ulla turba negotio hæmorrhoidali inferatur, quin potius provideant, quo talem medicum consulant, qui perturbatos motus hæmorrhoidales in ordinem congruum convertere potest, neque illis facile fidem dent, qui negotium hæmorrhoidale promiscue suspectum reddere volunt & tales criticos ac iniquos consultatores fugiant: curam potius habeant, quo Hæmorrhoides libere & congrue revertantur & placide progrediantur: pro hoc scopo confert *dieta accurata & mobile vitæ genus, animus continens, usus boni vini, ingestio pilularum Stahlîanarum, præcipue verna & autumnali periodo repetitò instituta*; huc spectant *internæ lenientia & aluinam excretionem facilitantia*: quando vero Hæmorrhoides nonnullis ataxiis subjectæ sunt, tunc conferunt *præservatoriæ Ven. Sectiones & hirudinum applicationes ad loca hæmorrhoidalia*, nec non *modestæ laxationes cum rhabarbarinis, passulatis, correctis aloeticis remediis*: huc pertinent *pediluvia & modesti infusus*: *dieta sit selecta & congrua*; corpus *sufficienter moveatur*, potus *tenuis* quantitate convenienti jungatur, *spissus* enim potus nocet; quicquid *primas regiones* turbat, sedulo omittatur & omni modo prospiciatur, ne ullæ *motuum hæmorrhoidalium turbæ* increbescant & insolescant: interdum *Mystræ cum podagricis & arthriticis cruciatibus* vexantur, quibus *præservandis* utili consilio indigent: præstat itaque, quo in omni negotio *temperantiæ* studeant, animus sit *quietus & tranquillus*, *matrimonium* observetur *castum*: *dieta sit simplex*: nocet potus valde *saturatus & spirituosus*: nocet victus *luxuriosus & copiosus*: *aqua & lac* sub *dieta* quando *rite* adhibentur, *multum* solatium promittunt; *alvus* sit libera, aut interdum per *rhabarbarina & selecta*

Et aloetica promoveatur; nimix exæstuationes & refrigeratione internæ & externæ evitentur: nunquam moderata diaphoresis sensibilius aut crassius aut simul & semel opprimatur: profunt interna lenientia & gelatinosa, præcipue sub diæta: vini potus sit parcus: in nonnullis præservatorius usus temperatarum acidularum & thermarum conducit: corpus conservetur in constanti & justo calore: sanguis congruis temporibus ventiletur & si motus hæmorrhoidales eminentius concurrunt, tunc hirudines ad loca hæmorrhoidalia bis vel ter per annum applicentur: conferunt etiam præservatoriè passulata, tamarindinata & nitrata remedia, quicquid vero sanguinem valde commovet, magno studio excludatur: nocent convivium, nocet omnis inordinata vita, nocent nimia vigiliæ & nocturna immoderata occupationes: simplex & sincera vivendi ratio plus ad præservandos tales affectus conducit, quam speciosa medicatio.

§. XI.

Ad illos insolitos affectus, quibus *Myſtæ* subijci observantur, referendus est *sudor annuus spontaneus*, sed cum *D.D. Præses* peculiari disputatione hujus indolem & modum tractandi explicaverit, non placet hoc loco illius latiore mentionem facere, sed remittimus illos, qui hujus sudoris veram notitiam comparare gestiunt, ad illam deductionem, scitu admodum dignam & multum omnino refert, quo *Myſtæ* illum rite tractare discant, quoniam ab hujus sudoris legitimo successu multa bona consecutaria pendunt & vicissim ab illius perturbatione gravia damna prædici possunt: placuit itaque illam dissertationem in emolumentum *Myſtarum* in publicum emittere & hac occasione commendare. Et quid dicamus de *Purpura*, quæ in hisce regionibus *Myſtis* admodum infensa est & de qua præservanda omnino justa occupat sollicitudo, tanto magis, cum sæpe occasio occurrat, quo *Myſtæ purpuratis* officium

cium suum adhibeant: ad *præservandam purpuræ recursionem* aut *exacerbationem* præstat, quo commercium cum *aëre puriori* seligant & aerem nimis *frigidum* nimisve *calidum*, ut & valde *humidum* & *frigidum*, *turbidum*, *vappidum*, *nebulosum* & *crassum*, quantum fieri potest fugiant: multum etiam infensus est purpuratis *aër nocturnus*, quando præcipue secundum anni tempora variantia *diurnis* horis *aër serenior*, calidior aut tepidior, *nocturnis* vero *frigidior* est: præcipue confert *pectus* ab omni *sensibili refrigerio* subducere: *transpiratio* conservetur in *placido* & *constanti* successu, eumque ob finem interdum autumnalibus, hyemalibus & vernalibus temporibus Essent. pimp. alb. cum Ess. succini mixta assumatur: ad *temperandam* vero seminii purpurati *acrimoniam*, per intervalla usurpetur pulvis ex oc. 69. citr. corall. rubr. præparat. antim. diaph. & nitr. depurato paratus: porro cura habeatur quo *alvas* constanter *aperta* sit, quin nonnunquam *modeste laxationes* conveniunt, quo ordinamus pilulas ex extr. scord. pimp. alb. cent. min. helen. gent. rubr. G. juniper. Myrrh. succin. alb. præparat. extr. panchym. Croll. & diagrydio; conducit etiam ad præservandam purpuram pulvis ex oc. cancr. citr. lap. prunellæ & diagrydio: non minus cum fructu rhabarbarina, passulata, tamarindinata & prunata adhibentur: abstineant purpurati a *communi* usu decocti *Coffee*, quod potius purpuram *sustentat* & auget: conferunt rectius juscula *gelatinosa* & *avenacea*, gelatinæ domesticæ cum passulis & citro paratæ: lacticia nocent: *diætâ* confert *temperata*: vini potus sit *parcus*, nam facile ad *orgasmos* sanguinis, *oppletiones* sanguineas & *sudores* molestos disponit: necesse etiam erit, quo *opportuno* tempore & cum *bono regimine* *Venesectionem* in usum trahant: *frequens* regiminis, diætæ & remediorum *mutatio* nocet: nimis *sedentariæ* vitæ inhæreere officit, nimios & *strenuos*

motus corporis ac labores suscipere, perinde alienum est: in omnibus *exquisita temperies* observetur: *valde* aromatica, copiose *crocata*, multa *acida*, *austera* & salina *nocent*: repetita & *molesta frictio* corporis, in loco *modeste calido* proficit, *transpirationem* insensibilem conservat & *translationem* inquinamenti *purpurati* in *superficiem* corporis è *massa sanguinea* & *internis nobilibus visceribus* invitat; perquam etiam caveant, ne in *locis humidis* & *frigidis* diu versentur, quæ loca dumpffichte Dexter, *purpuratis* valde sunt *insensa*, unde facile *pectoris* contumacia pathemata ingruunt.

§. XII.

Posteaquam hætenus nonnullorum morborum præ-
servationem brevibus perlustravimus, qui Mystas invade-
re observantur, ita adhuc acturi de *præservandis* morbis
Epidemicis & *Contagiosis*: etenim si tales morbi grassantur,
tunc communiter *medico animæ & corporis* opus est, quare
Mystæ quando *ægotis officio* suo adstare debent, insuper
se *periculo contagiosæ infectionis* exponunt; ob id dignum
judicamus esse negotium, quo *salutaria* subministrentur
consilia, quibuscum sacrorum Ministris in *tanto periculo*
sanitatis & vitæ constitutis subveniatur: necesse itaque
est, ut Mystæ, qui tam periculose *ægotantibus visitandis*
operam dant, a *generalibus impuritatibus* corporis liberi
sint, quare *aliquoties* per annum *leni laxatione* corpus su-
um repurgare debent: deinde illi, quibus sub *dieta plena*
sanguinis *molesta* abundantia familiaris est, *tempestivis ar-*
tificialibus sanguinis *subtractionibus* subeundis invigilare
debent: porro *temperata* diæta conjungenda est, ne *novæ*
impuritates colligantur, *regimen* etiam aptum observetur,
quo *transpiratio insensibilis* constans & sufficiens sit, unde
plus calori indulgere convenit: modicus usus *vini boni*, sub
diæta concedatur, quo mediante necessaria *diapnoes* & *di-*
uresis

iresis adjuvari potest: omnis vero *excessus* in substrata consideratione pro eminenter noxio declarari potest: neque etiam decet *talibus* temporibus, quibus ejusmodi suspecti morbi grassantur, corpus cum *multa alimentorum* copia onerare, quin potius *temperantiæ & abstinentiæ* studere convenit, quo eo magis *natura* corpus suum ab *adventitiis & contagiosis* recrementis liberare queat, ne ex *diæta* major impuritatū colluvies congeratur: quare tanto magis cibi *crassi & impuros* succos præbentes fugiendi sunt: præterea confert *matutinis* horis, antequam corpus *e lecto* conferatur, *leni diaphoresi* indulgere & deinde posteaquam ad negotia sua se accingunt, proficit *moderatam* quantitatem temperatæ Essentiæ alexipharmacæ aut Tincturæ bezoardicæ ingerere & brevi post in loco tepidiori continuandæ moderatæ *diaphoresi* indulgere, ad quod negotium *primæ matutinæ* horæ impendendæ erunt: per totum diem regimen illud observetur, quo *æquali* successu illa *transpiratio insensibilis* continuet: quibus *sanguis & mobilior & floridior*, illi sub diæta nonnunquam *mitius acidulata* usurpent, quo præcipue citri *acetositas* confert: profunt hoc nomine etiam *gelatinæ citratæ & passulatæ*, hordeum excorticatum decoctum cum tantillo succi & corticum citri: contra vero omnia quæ *sanguinem* valde commovent excludantur: aliàs sub reliquo curriculo vitæ diurno, quando Mystæ periculosos suos patientes visitant, utantur radícula illa laudabili *pimpinellæ albæ* pro *masticatione*, aut cortice citri *recenti*: qui vero *temperatioris* habitus corporis sunt, neque tam facile *ebullitiones* sanguinis experiuntur, illi pro *masticatione* utantur radicibus *valerianæ, gentian. rubr. galang. Zedoar. Caryophyllis aromaticis*, aut etiam *myrrha electa*: ast talis masticatio *medica* esse debet: caveant insuper ne salivam frequentius *deglutiant*, quoniam *miasmata ægro-*

tantium *etiùs* salivæ se insinuant: *vespertinis* horis adhibeatur pulvis ex oc. 69. citr. antimon. diaph. & nitr. depur. quo omnis *suspecta humorum acrimonia* temperetur & *moderata diaphoresis* ac *diuresis* promoveatur: naturis *temperatis* utpote melancholicis & phlegmaticis conducit *modicus* usus boni & *generosi* vini: præstat etiam in subjectis *humidioribus* quandoque *versus vespertinam* uti Tinctura ex EA. Succin. & Tinct. antim. facta: præter hæc interdum loco matutini alexipharmaci remedii confert, decoctū herbæ theæ cum tantillo herbæ scordii, cort. Cinnam. providendo, quo ex illius etiam usu *diaphoresis* in *temperato* successu conservetur: de reliquo sub *dieta* seponantur omnia illa subjecta, quæ humores *inquinare*, *perversum* sanguinis motum & *orgasum* invitare, *fermentationem* ominosam excitare & ad *putredinem* occasionem subministrare possunt: sub quo directorio, reliqua *divinæ providentiæ* ac protectioni committenda sunt.

§. XIII.

Pauca adhuc de nonnullis *operationibus therapeutiis* & *medicaminibus* dicere placet, circa quæ Mystæ *circumspectionem* habere debent, ne ex *indiscretotalium* usu *damna* quædam emergant: merito itaque quæritur, an interdum Mystis cum *utilitate vomitoria* propinari possint: quemadmodum vero *promiscuus* vomitoriorum usus in *omni* statu nocet, ita prudentia opus est: etenim dum vomitoria *eximie* corpus alterant & *commovent*, ita facile diversis, *perversis* & *perniciosis* consecutionibus ansam præbere solent: non tamen propterea *omnem* usum vomitoriorum in Mystis à morbis *præservandis* damnamus: quando enim subjecta mediocriter *robusta* sunt, neque *aliæ* circumstantiæ *obstant*, velut *suspecta plethora* & ominosæ *morbide* dispositiones in capite ac pectore &c. tunc *non penitus* emetica expavescenda sunt: & hæc interdum inserviunt ad *præoc-*

cupandos morbos malignos & ventriculi incommoda: locum illa habent in subjectis quæ multo victu multas impuritates colligunt in ventriculo, quibus è proximis viis expurgandis nonnunquam convenientius cum vomitorio succurritur: inde etiam nonnullæ naturæ commode singulis annis emeticum admittant; præstat vero in leniori vomitu acquiescere, neque unquam cum hac excretionem excessum committere: porro non parum conducit, si aliquoties per annum modicæ laxationes provocantur; omnes vero vehementes purgationes, vires valde enervant & ad futuros hypochondriacos, colicos affectus disponunt & cum non raro Mystis martialia remedia commendentur, ita circa illorum usum magna circumseclione opus est, facile enim ad suspensas obstructions, stagnationes, se & excretionum turbas disponunt, hinc illorum usus esse debet parcus, neque adeo frequens, proinde sub illorum usu sufficiens motus corporis & potus jungatur & à cibis solidioribus abstineatur; nunquam vero illa martialia usurpentur, nisi aliquo motu defectu in internis visceribus laborent: porro ab adstringentium vulgari & liberali usu in morborum præservatione sollicitè desistant, quoniam illa ad humorum increffationem, progressus sanguinis, se & excretionum perturbationem, organorum nobilium occlusionem; stagnationum promotionem contribuunt, quare illa remedia facilius ad morbos disponunt, quam illos præservant: narcotica remedia perinde Mystis præservatorio scopo sunt infensa & varias anemalias in œconomia vitali concitant, adeoque ad diversas morbias afflictiones contribuunt: valde spirituosæ, concentratæ, volatilia, subtilia non facile Mystis proficiunt, quoniam nimis commotionibus sanguinis provocandis quadrant: quæcunque vires enervant, corpus valde relaxant & emolliunt illa evitentur: multus, frequens, copiosus usus omnium aloëticorum remediorum nocent: tanto minus

minus vero *crudiorum* & *minus correctorum*, hinc sæpe Myſtæ cum *famolis pilulis largius aloëticis* ſanitatē ſuam magis *turbant*, quam *levant*: multis medicamentorum uſibus non adſueſcant, alias facile *vires naturæ emolliuntur* & *enervantur*: *dubiis & minus probatis experimentis* ſuam ſanitatē non concedant: à multis tanto magis *discrepantibus* medicis abſtineant: vitæ *ſimplicitati* plus indulgeant: aliquando *modestis peregrinationibus* corpus ſuum exerceant: omnes *exceſſus* in *Regimine & Dieta* excludant & ſub hac tradita præſervatoria *methodo divinam benedictionem* exorent atque expectent: Et in hac commendatione acquieſcimus: addenda quidem adhuc varia fuiſſent, ſed placuit tantum hac conſideratione aliquod *Specimen* edere, quod Deo adſiſtente non ſine uſu erit: huic Benigniſſimo DEO humillimas referimus gratias, quod noſtris conatibus in exponendo hoc themate annuere voluerit, cui noſtros ſingulos labores conſecramus eundemque rogamus, quo præſentia monita, conſilia & auxilia ſaluberrimis effectibus & ſucceſſibus beare velit,



